



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. III. Non innatat humori Aqueo,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)

quæ deducitur ex 8. capitis experientia de viso vno puncto per multa foramina. Quæ, ut dixi Concl. priore, non defenditur per hoc, quod radij illi omnes ab vno promanent puncto visorio; ex hoc enim necesse foret dicere, vnum punctum nunquam multiplicandum; genuina ergo causa, ex alijs radijs intro missis est inuestiganda: qui ex hypothesi in sola Corneæ profunditate reperiri valent. Aut ergo hi radij, cum sint refracti ad perpendiculares suas, in tunica Cornea coincidunt alicubi in vnum punctum, aut non: si primum, ergo supra centrum tunicæ Corneæ conuenire debuerunt, ultra suas perpendiculares, contra omnem Refractionis naturam: si secundum, ergo non ostendent punctum vnum, aut detur ratio, quomodo appareat vnum, in diuersis organi visorij partibus depictum? Aut si hoc non obstat, quo minus res vna sistatur, etiam si per plura foramina videatur, qui fit, ut in duobus alijs sitibus res vna multiplicetur?

Quarta etiã & 8. l. 1. partis, 2. experientia, demonstrationes sanè inuictas pro hac Conclusionem suppeditant. quas Conclusionem & capite priore satis euolutas, atque huc facile applicandas, prudens dissimulo. Adde etiam hoc Auctarij loco, Pupillæ variationem l. 1. parte 1. c. 7. & p. 2. c. 1 & 14. allatam, gratis esse, si in Cornea obiectum aspectabile sentiatur. Siue enim Vnea tunica fimbriam suam dilatet siue coarctet, Tunicæ Corneæ adiumenti penitus nihil afferet; imo eidem potius officiet. Quia enim ad lucis copiam sese explicat, ipsa in causa erit ut ea fortius & vberius in Corneam reuerberetur, quod minus accideret, si quam maximè sese contraheret; minus namque à plicata rediret lucis, & plus absorberetur ab hiante, &c.

Tandem quid reliquæ oculi partes agerent? otiosæ nimirum pro sola inani ostentatione oculum suo infarctu distenderent, &c.

Ex his ergo conclusum esto, Corneam formale visus organum non esse.

REPROBATVR RADIVS IN HVMO-
 rem Aqueum immerfus.

CAPVT III.

Dicen-

Dicendum 3. Radium humori Aqueo inhaerentē Concl. 3.

non esse radiū formaliter visoriū. Sit. n. per part. 2. caput experimentumq; 3 cereum punctum A, illitum concauo tubi vitro, lapsum in Corneam radio AB, in quā refringitur ad perpendicularem, ut dictum, & sit refracta linea BC, cum ergo sit Aqueus humor æquē aut quasi æquē densus, atque Cornea, procedet radius BC in punctum D, cadetq; ad anteriora protractus in punctum E; sed ne dicas, si poneretur humor Aqueus rarior Cornea, futuram refractionem à perpendiculari, & casurum radius refractum trans A in sinistram; obstat tenuitas Cornex, & aer ante ipsā, ita ut refractione inclinacionē radij AB, non possit omnino compensare. Cadet ergo radius refractus, semper ad dextram radij AB. & tamen secundum allatam experientiam, cuius obuiam vergere deberet in punctum F, ad sinistram partem puncti A. Radius igitur in humore Aqueo receptus non est formaliter visorius: quod erat demonstrandum.



Hæc demonstratio à fortiori multo magis ostendit in tunica Cornea Radium visorium non esse. Illic enim radius refractus BC, semper cadit in E. experientia tamen teste, res visa transfertur in F, per alium igitur id radius oportet fieri. Possent & aliæ ex alijs experiencijs demonstrationes huc afferri, sed quia contra hanc Conclusionem nemo esse videtur tempus lectori nō eripiam. Sufficit Physico illud vnicum: Aqueus humor (quod nemo negat) non viuit; ergo non sentit. Procurro igitur ad alia.

REPROBATVR RADIUS IN Arachnoidem anteriorem impactus.

CAPVT IV.

Dicendum 4. Radius formaliter visorius non est Concl. 4.
is, qui extimam Humoris Crystallini superficiem
conuexam tantum attingit. Superficies alicuius rei

L 3 dupli.